



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ad Iesuitarvm Assertionēs, Ex Epistola Priori Divi Pavli ad  
Timotheum, in Schola Dilingana disputatas, quibus totum  
Papatum stabilire conati sunt, pia responsio**

**Bidembach, Wilhelm  
Osiander, Lucas**

**Tvbingæ**

**VD16 B 5358**

Iesvitæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36892**

rum; dum à se dissidentes temerarios plane ho-  
mines ac hæreticos esse proclamant. Nam si Iesuitæ  
obstinatè hanc Epistolam Paulo tribuere perrexer-  
int, magis temerarij & Hæretici erunt, quam ij qui  
hanc ( de cæteris enim nemo Christianorum dubi-  
tat) Pauli propriam esse constanter negant. His qui  
dem super sedere potuissimus, si suos Anathematis-  
mos sibi ipsis reseruassent, aut certè prudentius pro-  
mulgassent Magistri nostri, de societate Iesu, si Dñs  
placet. Iam quale prioris ad Timotheum Epistolæ  
Argumentum ab ipsis constituatur, videamus.

I E S V I T Æ.

*Admonet autem Apostolus hac Epistola Timotheum, ve-  
st, suamq; plebem, aduersus Hæreses tunc presentes, Simonias-  
norum & Iudaizantium, & futuras alias, muniat, ve in eli-  
gendis Presbyteris, Diaconis, & Viduis, magnam cautionem  
adhibeat: ve deniq; lectioni, orationi, & virtutum studio in-  
sensus, omnia Episcopi munera, sedulo & cautè perficiat.*

R E S P O N S I O.

VBI hęc, vt supra etiam attigimus, sit Christi  
mentio? vbi Euangelij? vbi gratiæ Dei? vbi  
fidei? vbi iustificationis? vbi aliorum præcipuorum  
locorum Doctrinæ Christianæ? quos extare mas-  
xime in Ecclesia prodest, & inculcari hominibus,  
quosq; in hac Epistola Paulus non tantum non omi-  
sit, sed ijs etiam, quæ à Iesuitis hęc recensentur, præ-  
C ij milit.

milit. Sed isti homines Christum in scripturis ut non  
 querunt, ita nec inveniunt. Satis est ipsis, si Episco-  
 pos, si Presbyteros, si Diaconos, si viduas inveniunt.  
 Nos autem, cum in tota scriptura, tum in hac etiam  
 Epistola potissimum querimus & inuenimus, De-  
 um manifestatum in carne, iustificatum in spiritu, vis-  
 sum Angelis, predicatum gentibus, creditum in  
 mundo, receptum in gloria. Et videmus Paulum  
 suo more & hic & ubique primum de vera in Chris-  
 tum fide, postea de fidei fructibus, per varia voca-  
 tionum seu officiorum genera differere. Quod dis-  
 crimine quia Iesuitae non vident, nihil vident. Sed  
 placet tamen, quod hanc Epistolam contra Simonias-  
 nos & Iudaizantes scriptam esse dicunt: sic enim  
 suo se indicio produnt, quod & contra Papistas scrip-  
 ta sit, qui & Simonizant & Iudaizant: Et per  
 FVTVRAS Hæreses, quasnam nisi Papistarum  
 potissimum Hæreses intelligere possunt: de quibus  
 quarto huius Epistolæ capite tam illustre extat  
 vaticinium, ut nullo penicillo acuratius pingi, nulla  
 hypotyposi clarius effingi & ob oculos poni Papas-  
 tus potuerit.

## I E S V I T Æ.

EX PRIMO CAP.

*Vt denunciares quibusdam ne aliter  
 docerent.*

I Mansurus erat Ephesi Timotheus, ut cum potestate præ-  
 eiperet quibusdam, ut in hoc dicitur, hoc est, (ut Ambrosius  
 & Chry-